

averfatur & odit. Potestne tuta conscientia ob hanc rationem transire ad aliud monasterium? An indiget ad hoc Superioris sui licentia? Quid si denegatur ipsi licentia?

ꝑ. Sufficentissimam Christophorus habet rationem secunda conscientia transeundi ad aliud monasterium, etiam diversi Ordinis: oportet tamen, ut observet formalitates requisitas, obtineatque licentiam sui Superioris, si monasterium, ad quod transurus est, non sit strictioris observantiae, ac illud, ex quo migraturus est. Quod si Superior petitam denegat licentiam, Religioso huic resurrendum erit ad Superiorem majorem. Per professionem in suo monasterio factam, ait Sylvius var. resol. v. Religiosus 9. est obligatus ad illud monasterium, & ad particularem eius Praelatum. Non est autem ullum jus commune, quod ei tribuat facultatem se ab ista obligatione eximendi . . . Non potest ergo sine Superioris licentia migrare ad aliud monasterium. Si vero monasterii, quod ingressurus est, strictior est observantia, obtento a Pontifice brevi translationis suae satisfaciens, si a Superiore suo petat licentiam; & sic transire poterit ad illud monasterium, etiam si Superior petitam licentiam denegaverit. Ratio est; quia, ut ait Innocentius III. Cap. Licet. 18. Lib. 3. Tit. 31. privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Pontas.

CASUS XXVIII. Philostratus Religiosus Ordinis reformati gravissimam ac itabilem contraxit infirmitatem. Potestne sine peccato ob hanc solum rationem transire in alium Ordinem minus rigidum?

ꝑ. Si infirmitas ista eum reddit inhabilem ad observantiam regulae, quam professus est, potest autem observare regulam mitioris Ordinis, juxta S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 8. C. licite transire ad ejusmodi Ordinem, cum dispensatione tamen. Notandum autem, quod dispensatio nequaquam securitatem praestet in conscientia, si ratio, ob quam a summo Pontifice concessa est, in causa legitima non fundetur. Pontas.

CASUS XXIX. Eustachius Religiosus Ordinis valde rigidi, cum videret in eundem sensum introduci laxitates, regularemque disciplinam pessime observari, se vero hujusmodi corruptelis insensum reliquorum diceret ac persecutionibus esse expositum, transire cogitat ad alium Ordinem minus rigidum; in quo tamen exactior viget disciplina, constitutionumque observantia. Scit insuper, in omnia reliqua sui Ordinis monasteria laxitatem hanc irrepsisse, ita ut in nullo regulam professionis suae exacte ac quiete observare possit. Poteritne tuta conscientia hoc exequi propositum?

ꝑ. Jux-

ꝑ. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 8. C. & in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. quaestione. 1. ad 3. bonum quidem non est Religioso suam deserere Religionem, & amplecti aliam sine gravi necessitate aut notabili utilitate; non solum quia ejusmodi transitus praebet scandalum Religiosis, quibus valet dicitur, sed etiam quia ordinarie facilius est pervenire ad perfectionem & vitae sanctitatem in Religione, cui se quis semel mancipavit, quam in alia, cui quis necdum est assuefactus. Addit tamen S. Doctor: Potest tamen laudabiliter de una Religione transire ad aliam propter declinationem Religionis a debita perfectione; puta si in aliqua Religione arctiori incipiant Religiosi remissius vivere, laudabiliter transit aliquis ad Religionem, etiam minorem, si melius observetur. Licite ergo Eustachius in praesente casu transit ad alium Ordinem mitiorem: consulendus tamen desuper erit Superior, & ipsius judicio acquiescendum. Postremo tandem recurrendum est Romam. Pontas.

CASUS XXX. Chrisimus Religiosus Ordinis non reformati a Superiore suo petit licentiam ingrediendi Ordinem strictiorem, quae ipsi rotunde fuit denegata. Potestne exequi hoc suum propositum etiam invito Superiore, quin peccet contra votum obedientiae?

ꝑ. Ad transitum Religiosi ad aliam Religionem tria requiruntur: 1. Ut in illa Religione, ad quam transire cogitat, sit strictior & disciplina & actualis observantia 2. ut Religiosus ad hanc mutationem non trahatur temeritate aut levitate animi, sed sincero desiderio perfectius poenitendi & sanctius vivendi. 3. Ut a Superiore suo petat licentiam instituendi hanc mutationem, sicque debitam ipsi submissionem exhibeat. His praesuppositis juxta S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 8. potest Religiosus transire ad Ordinem strictiorem, resistente licet Superiore, quin peccet contra obedientiam. Haec jam olim sententia fuerat Alexandri III. Cap. Sane. 10. Lib. 3. Tit. 31. praecipientis Episcopo Ambianensi, ut non infestet Canonicum Regularem, qui sine permissione Superioris sui monachum induerat in monasterio strictioris ac exactioris observantiae, ac erat domus professionis ab eo derelicta. Pontas.

CASUS XXXI. Benignus Religiosus mitioris Ordinis absque obedientia & inscelsis Superioribus suis discessit a suo monasterio, animo nunquam amplius revertendi; migravitque in provinciam remotissimam, habitu tamen Ordinis nunquam deposito. Potestne in rigore haberi pro vero apostata?

ꝑ. Si

γ. Si hic Religiosus aliud monasterium ingressus non est, ejusdem Superiori sese submiturus, ac regulam loci observaturus, dubitandum non est, quin reus sit criminis apostasie, & tanquam apostata puniri mereatur. Gregorius IX. Cap. *Ne Religiosi*. fin. Lib. 3. Tit. 31. jubet, ut Abbates ejusmodi fugitivos censura excommunicationis feriant. *Pontas.*

CASUS XXXII. Martialis Religiosus professus videt patrem suum decrepita jam ætate morbis afflictum, & in magnam conjectum miseriam, ita ut sibi comparare jam non possit, unde vivat. Cogitat ergo egredi ad tempus ex suo monasterio, ut patri succurrat. Num tuta conscientia sic agit?

γ. Prætextus hic quidem speciosus ac plausibilis est, multisque exoptabilis, quibus magis arridet mundus quam claustrum, maxime cum Casuistæ non pauci faveant. Sed juxta S. Thomam ratio hæc non excusat Martialem a peccato: ait enim S. Doctor 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4. *Ue vero, qui jam est in Religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo. Unde non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum, in quo Christo conspeditur, Et se iterum secularibus negotiis implicare. Tenetur tamen, salva sui Prælati obedientia Et sua Religionis statu, pium studium adhibere, qualiter ejus parentibus subveniatur.* Advertendum tamen, quod, si necessitas parentum foret ea, quæ extrema dicitur, jus naturale ac divinum, quod omni obligationi votorum præferendum est, juxta unanimum Theologorum sententiam obligaret ejusmodi Religiosum, ut succurrat parentibus. Igitur in præsentem casu Martialis tenetur opem ferre patri suo omni modo possibili cum consensu Superioris sui, cætera autem relinquere paternæ supremi Numinis providentiæ. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Lieboldus Prior claustralis potest quidem, si velit, introducere reformationem in suum monasterium. An etiam tenetur ad hoc in conscientia?

γ. Si in ejus monasterio viget claustralis disciplina, ejusdemque Religiosi observant regulam & constitutiones Ordinis, Superior, etsi facile & absque repugnantia possit, non tenetur introducere reformationem, ad quam se obligandi nullam fors Religiosi habuerunt intentionem, dum professionem emiserunt. *Pontas.*

NOTA. Non solum exterior regularis disciplina, plerumque consistens in observantiis externis, est ad quam obligantur Religiosi cujuscumque demum Ordinis, sed etiam observatio legum naturalium, divinarum & ecclesiasticarum, v. g. devota psalmodia, devota cele-

bratio

bratio missæ cum debita preparatione ac subjuncta gratiarum actione, ple quotidie instituenda meditatio, examina conscientie rite obeunda, utilis lectio, competens studium, fuga otii, honestas vite clericalis ac religiosæ ædificatoria populi, & aliena a vanitatibus & pompis sæculi. Circa hæc reformare suos tenetur Superior sub gravi peccato, si deficiant.

CASUS XXXIV. Philibertus Abbas regularis in suum monasterium introduxit reformationem, convenitque utrinque, inter reformatos scilicet & veteranos, ut hi interessent missæ majori & vespers diebus Dominicis ac festis; vicissim vero a reformatis acciperent habitationem & 250. florenorum pensionem annuam; solvendam singulis, in quocumque demum loco fuerint, vel quodcumque Beneficium aut officium haberent posthac. Post initam hanc conventionem Alexius veteranorum unus migravit ad aliud monasterium, in quo ex officio claustrali ipsius curæ & administrationi commissio lucratur, quidquid pro alimentacione, sustentacione & habitatione necessarium est: nihilominus tamen a prioribus confratribus reformatis petit debitam sibi & necdum perolutam unius anni pensionem; quæ autem ipsi negatur, eo quod non amplius esset membrum monasterii, & ex officio in alio monasterio satis provisum sit ipsius necessitatibus: Alexius tergiversantibus obicit conventionem utroque initam. Quæritur 1. Utrum conventio inita, vi cujus Alexias tantum interesse tenetur diebus Dominicis ac festis missæ majori & vespers, eum securum reddat in conscientia, si non assistat etiam reliquis Horis canonicis in choro dicendis. 2. Utrum vi conventionis jure ipsi debeatur promissa pensio, non obstante, quod in alio monasterio possideat officium claustrale?

γ. Veterani tenentur in conscientia & sub reatu peccati quotidie assistere toti Officio Horarum canonicarum in suo monasterio etiam post introductam reformationem, non tantum vi solemnem professionis, sed vel maxime etiam ex eo; quia ex monasterio percipiunt alimentacionem, aliaque necessaria. Adeoque conventio inita non eximit Alexium ab obligatione comparandi quotidie ad omnes Horas canonicas, a qua utique ipsum liberandi jus ac potestas non erat penes Religiosos reformatos. Quod attinet ad pensionem constitutam, hæc ipsi non debetur, nisi resideat in suo monasterio, ibidemque omnibus suis obligationibus satisfaciatur; supposito etiam, quod eadem indigeret ad suam sustentacionem. Adeoque ex eo momento, quo migravit ex suo monasterio, & incepit possidere officium claustrale, quod necessaria ad

vite

vitæ sustentationem ipsi suppeditare poterat, expiravit pen-
sio a monasterio professionis ipsi constituta. *Pontas.*

CASUS XXXV. Religiosi quidam mendicantes præten-
dunt jus mendicandi in aliena diœcesi conventui suo conter-
mina a tempore vindemiarum usque ad finem anni absque
licentia Episcopi diœcesani. Num jus hoc fundatum
est?

ꝑ. Certum est, non licere Religiosis mendicantibus in
aliena diœcesi absque licentia proprii ejus diœcesis Episcopi
elemosynarum collectionem exercere; quod patet ex Con-
silio generali Lateranensi sub Innocentio III. Cap. *Cum ex eo.*
14. Lib. 5. Tit. 38. & ex Tridentino Sess. 21. c. 9. Con-
ventus generalis Cleri Gallicani de anno 1645. specialiter id
prohibet omnibus indiscriminatim Religiosis mendicantibus.
Pontas.

CASUS XXXVI. Blasius sacerdos ob publica & scanda-
losa crimina condemnatus est ad triremes; obtenta autem a
Principe gratia sententia executioni data non fuit. Potestne
admitti in Ordinem religiosum?

ꝑ. Potest admitti, si habeatur moralis certitudo de vera
ipsius resipiscentia, ac sincera conversione: priusquam ta-
men recipiatur, quam diligentissime examinanda est ipsius vo-
catio: si enim ideo solum ad Religionem confugeret, ut
legum ac iudiciorum severitatem declinet, impunitatemque
inveniat, nequaquam foret recipiendus. *Fromageau.*

CASUS XXXVII. Lucianus Religiosus privatus videt in
familiam suam irrepsisse abusus intolerabiles, vigereque jam
effrenatam vivendi licentiam. Ingemiscens tantis malis liben-
ter vellet adhibere remedium; sed nescit, qua ratione id
possit exequi. Quid ipsi consulendum?

ꝑ. Si Religiosus iste per se ipsum non possit mederi ma-
lis hisce religiosam familiam depravantibus, primo adeundi
sunt Superiores regulares, & de omnibus instruendi. Si &
istis operam suam curando malo commodandi aut voluntas
aut animus desit, implorandus est Ordinarius. *Fromageau.*

CASUS XXXVIII. Coriolandus Religiosus percipit pin-
guissimos redditus tam ex pensionibus quam ex Beneficiis,
negotiat, thesaurizat, &, ut melius potest, opes sibi ac-
cumulat. Licitene & tuta conscientia?

ꝑ. Et si Religiosus iste tam amplos redditus fors ex dispen-
satione percipiat; tenetur tamen eos administrare conformiter
ad mentem Ecclesiæ & sacros Canones; indubitato gra-
viter peccat, qualemcumque demum exerceat negotiatio-
nem, quæ ipsi a Superiore interdicenda est cum comminatio-
ne

ne suspensionis a celebratione missæ tam publicæ quam priva-
tim; nec etiam a confessario absolvi poterit, nisi resipiscat. Cum
tamen Religioso huic collato titulo Beneficii etiam collata
fuisse censeatur ejusdem administratio, non tenetur Prælato
suo reddere rationem proventuum beneficialium, dummodo
eos impendat in causas pias, in sublevamen pauperum, ac
in necessitates ecclesiæ beneficialis juxta præscriptum Cano-
num. *Fromageau.*

CASUS XXXIX. Cornelius Religiosus professus in domo
fratrum hospitalitatis secessit ad Abbatiam septem fontium
Ordinis Cisterciensis, ibidemque solemnem professionem emi-
sit absque licentia sui Superioris. Postea ex Pœnitentia
Apostolica obtinuit Breve, qua facultas ipsi concedebatur
transeundi Cistercium. Quid censendum de hac agendi ra-
tione.

ꝑ. Non potuit deserere suam Congregationem, ut ad
Abbatiam septem fontium discederet. Professio Cornelli ibi-
dem emissa est nulla. Breve Pœnitentiariæ Romanæ pariter
est nullum, teneturque Religiosus iste redire ad suos confrat-
res Hospitalitatis. *Fromageau.*

CASUS XL. Benedictini quidam formulæ professionis suæ
addunt hæc verba: *coram Deo & Sanctis ejus.* Num ve-
ram juramenti rationem habent verba ista?

ꝑ. Non habent de se rationem veri juramenti, nec asser-
torii nec promissorii: potest tamen fieri, ut verum juramen-
tum contineant vel ex intentione expressa profitentis, vel
ex consuetudine Ordinis. Juramentum autem hoc solum
foret promissorium, cujus violatio ob parvitatatem materiæ
potest esse peccatum veniale, cum violatio juramenti assertorii
etiam in re levi semper sit peccatum mortale; quod ex dam-
nata ab Innocentio XI. propositione 24. colligitur: *Vocare
Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter
quam Deus velit, aut possit damnare hominem.* *Fromageau.*

CASUS XLI. Nectarius Religiosus super obedientia sibi
imposita appellavit ad judicem superiorem tanquam de abusu.
Cum autem ejusmodi appellationes per constitutiones Ordinis
a summis Pontificibus approbatas, & a Religiosis accep-
tatas interdicantur sub pœna excommunicationis, Nectarius
ab omnibus habetur pro excommunicato. Estne vere ex-
communicatus?

ꝑ. Non videtur, quod ratione hujus appellationis possit
haberi pro excommunicato; cum excommunicatio non sit
lata ipso facto. Et si etiam lata foret ipso facto, cum ap-
pellationes hujusmodi de abusu potestatis passim jam sint, sal-
tem

tem in Gallia, consuetudine introductæ, nentiquam apparet, quomodo possit excommunicari, qui jus confugiendi ad hoc remedium propriæ defensionis gratia sibi competere existimat. Accedit, quod via hæc nostris his temporibus consideretur tanquam via juris, quam in compluribus occasionibus arripere permissum est. Nihilominus tamen magis expedit subicere se suo Superiori. *Fromageau.*

CASUS XLII. Sempronius religionem professus est, etsi exacte & secundum totam extensionem non sciret omnia onera & obligationes status religiosi. Estne valida ipsius professio?

ꝑ. Est habenda pro valida; si non foret invalida, si in ejusdem receptione etiam simonia fuisset commissa. Hinc ejusmodi Religiosus, etsi extra monasterium degat, & nihil ex eo recipiat, tenetur tamen ad omnes Honoras canonicas. *Fromageau.*

CASUS XLIII. Carolus evidenter scit, regulam monasticam, quam amplexurus est, usque adeo esse supra vires suas, ut ejusdem austeritatibus brevi sit succubiturus, mortemque sibi acceleraturus. Potestne tuta conscientia eam amplecti?

ꝑ. Non potest amplecti hujusmodi regulam, quin acceleratæ propriæ mortis culpam sibi adsciscat. Objectio de Ordine Carthusiensium ad perpetuam abstinentiam a carnibus adstrictorum, quibus earum usus ne quidem in extremo morbo permittitur, non stringit; quia homo absolute potest carere hoc nutrimento, & aliunde rigor circa abstinentiam a carnibus spectat bonum commune totius Ordinis, quod semper præferendum est bono privato Religiosi particularis. *Fromageau.*

CASUS XLIV. Erat schisma in Ordine S. Francisci, & Superior generalis totius Ordinis officio suo amovit omnes Provinciales totius Galliæ. Suntne professiones durante hoc schismate emissæ in Gallia validæ?

ꝑ. Sunt validæ: Superiores enim, in quorum manibus hæc professiones emissæ fuerunt, habebantur pro legitimis, & pro se habebant titulum saltem coloratum. *Fromageau.*

CASUS XLV. Conspirarunt ac contractum jam inierunt quatuor Religiosi, ut inamovibiles se reddant ab officiis, quibus in Ordine fungebantur. Suntne securi in conscientia?

ꝑ. Conventio hæc est simoniaca, & omnibus legibus adversatur. Quatuor hi Religiosi sunt excommunicati, ac proin inhabiles ad omnia prorsus officia Ordinis. *Fromageau.*

CASUS XLVI. Bruno Religiosus Carthusianus pœnitentiæ fuit subjectus ob leviores quasdam regulæ transgressionem, & aliquanto post pertæsus iniquæ suæ conditionis apostata vit ab Ordine; sed mox pœnitentia ductus iterum petiit admitti ad suam Carthusiam. Admissus quidem est, non impune tamen; cum pene ad decennium squalores carceris sustinere debuerit. At vero egressus aliquando e custodia videndorum suorum confratrum causa, fuit declaratus pro incorrigibili, decretumque, ut ex claustro eiceretur. Percussus terrore minarum sibi interea intentatarum, nondum insinuata, ut moris erat, ejectionis sententia iterum fuga sese subduxit. Secunda hæc evasio estne habenda pro nova apostasia? Poteratne sententia ejectionis eidem significanda auferre omnem spem redeundi ad monasterium? Poteritne rehabilitari in ordine ad missam celebrandam ab Episcopo, a quo sacros Ordines susceperit?

ꝑ. Secunda hæc evasio potest excusari ab apostasiæ crimine. Dein Superiorum est examinare, an juxta mentem constitutionum Ordinis Religiosus iste promeritus fuerit eici penitus absque ulla spe redeundi. Denique Episcopus in præfenti casu non potest ipsum rehabilitare ad celebrandam missam; sed recurrendum est ad summum Pontificem. *Fromageau.*

CASUS XLVII. Anacletus Religiosus, qui a solo Abbate ad novitatum & ad professionem admissus est, Capitulo nunquam desuper consulto, septimo post professionem mense in mentis imbecillitatem incidit. Potestne hæc professio nulla declarari, & sic professus in sæculum remitti?

ꝑ. Pertinet ad Capitulum generale Ordinis decidere, an vi constitutionum Ordinis aut monasterii ejusmodi defectus professionem reddat nullam, jusque tribuat remittendi de novo taliter professum ad sæculum. Posito autem, quod valida sit ipsius professio, ob imbecillitatem mentis non potest a religione dimitti, sed omnia charitatis officia in Ordine ipsi exhibenda sunt. *De Lamet.*

NOTA. In Ordinibus clericalibus, ac proin regulandis per jus commune, ex jure collegiorum Canonicalium talis professio foret nulla.

CASUS XLVIII. Odilo Religiosus Ordinis S. Benedicti fuit nominatus ad Prioratum Abbatæ suæ incorporatum ut Beneficium simplex. Comperit autem postea, eidem ante centum annos annexam fuisse curam animarum, quæ modo ab eo separata est, instituta vicaria perpetua, eaque Presbytero sæculari commissa, non servata tamen via juris. Tene-
Dix. Cas. Cons. Tom. III. O turne

turne Odilo renunciare huic Beneficio, aut saltem pro viribus allaborare, ut animarum cura denuo uniatur cum Prioratu?

ꝑ. Nec tenetur renunciare Prioratu, nec procurare, ut animarum cura denuo eidem uniatur; cum institutio vicariæ perpetuæ prorsus sit conformis menti Ecclesiæ. *Item statui- mus*, inquit Concilium Avenionense anno 1326. celebratum, *quod in singulis ecclesiis per monachos solitis gubernari, infra sex menses Priores earum suis diocesanis ad curam animarum perpetuos Presbyteros præsentent, quod nisi fecerint, ex tunc hac vice Episcopi instituant Presbyteros perpetuos in cura prædicta, & ipsos Priores compellant ad providendum eisdem Presbyteris, prout idem instituens duxerit ordinandum.* Idem statuere plura alia Concilia. Quod si quis in forma juris defectus extitit, rei ipsius dignitas, & Ecclesiæ, quæ perpetuæ vicariæ erectionem constituerat, utilitas præferenda est cuique formæ defectui, maxime cum suffragetur centenaria præscriptio cum bona fide, quæ sane supplet, quidquid ad ejusmodi erectionem firmandam desiderari potuit. *Fromageau.*

NOTA. Si præscriptio centenaria suffragatur in hoc casu erectioni vicariæ perpetuæ, multo magis monachis in Germania patrocinari debet præscriptio plurium sæculorum, per quæ Beneficia curata ecclesiis ac Abbatibus suis incorporata quiete hucusque possident.

CASUS XLIX. Hyacinthus emisit professionem in monasterio; interne tamen noluit se obligare ad officia ac onera religionis. Estne vere Religiosus?

ꝑ. Coram Deo non est Religiosus; tenetur tamen quoad externa vivere ut Religiosus ad evitandum scandalum: cum enim intra concessum tempus non reclamaverit contra professionem suam, in æstimatione hominum habetur pro Religioso; quam utut erroneam opinionem eorum animis eximere haud poterit, nisi per remedia juris. *De Lamet.*

CASUS L. Sunt in Abbatia quadam aliquot Religiosi, qui jam ante novem aut decem annos religiosum habitum susceperunt, ab altiori autem potestate hucusque semper impediti nunquam hæcenus professionem deposuerunt. Poteruntne in hoc statu admitti ad sacros Ordines?

ꝑ. Non potuerunt admitti, nisi aliunde habeant sufficientem titulum. Pius V. in Bulla, *Romanus Pontifex*, per annum a potestate conferendi Ordines suspendit quosvis Episcopos, qui hujusmodi Religiosos ordinaverint. *De Lamet.*

CA-

CASUS LI. In congregatione religiosa reformata existunt Religiosi contemptores regulæ & constitutionum locallium, ac incorrigibiles. Poteruntne a Superioribus remitti ad alia monasteria non reformata?

ꝑ. Non poterunt remitti; imo Superiores nec poterunt iisdem procurare Beneficia, ut hujusmodi rebelles procul a se & a communitate amoveant. Extant ordinationes juris docentes, quid agendum sit in ejusmodi occasionibus. Semper tamen poenæ, quæ ipsis infliguntur, eo respicere debent, ut puniti relapsant, & spiritus salvus fiat. *De Lamet.*

CASUS LII. Wenceslaus Episcopus Religioso exempto suæ diocesis recusavit collationem presbyteratus. Religiosus autem sic repulsus ab Episcopo obtinuit Roma rescriptum Pontificium, ut a quocumque. Potuitne Religiosus tuta conscientia in usum deducere hoc rescriptum?

ꝑ. Si Religiosus iste in supplicatione sua non exposuit recusationem Episcopi sui, nec repulsæ hujus exhibuit chartam, rescriptum est nullum; & Episcopus, qui eum ordinaret absque dimissoriis proprii Episcopi, ad annum privatus existeret jure conferendi Ordines; taliter ordinatus vero suspensus foret ab exercitio Ordinum, & si post talem ordinationem ministraret in susceptis Ordinibus, insuper irregularitatem incurreret, a qua non nisi auctoritate Pontificis absolvi posset. *De Lamet.*

CASUS LIII. Alto Religiosus ad professionem admittitur est omisso religiosi instituti annuo tyrocinio; sicque in religione degit annis octodecim. Estne valida ipsius professio?

ꝑ. Omnino invalida est hæc professio; & tamen, cum intra concessum a jure tempus contra eam reclamare neglexerit, eam jam legitime impugnare haud poterit. *De Lamet.*

CASUS LIV. Maurus ut in religionem recipiatur, pecuniis sibi viam sternit, & admittitur. Licetene?

ꝑ. Canones excommunicationem statuunt in omnes illos, qui ingressum in religionem pecuniis sibi parant, ut & in Religiosos, qui vel directe vel indirecte hoc ex motivo pecunias exigunt. Præterea ergo receptio indubitato est simoniaca. Canones isti respectu monialium a quibusdam Pontificibus non nihil fuerunt mitigati; sed quoad Religiosos nihil unquam fuit immutatum. *Fromageau.*

CASUS LV. Adalbertus Religiosus parochus ad reparandam ac exornandam ecclesiam Beneficii sui a mercatore quodam mutuos sumpsit 7000 florenos, qui tamen per annos

O 2

om.

omnino sexdecim nec summæ solutionem, nec censum ex mutuo unquam petierat. Adalbertus jam moriturus deposuit apud amicum 200. florenos post mortem suam solvendos mercatori instar census pro mutuo. Licitene sic egit?

ꝛ. Neutiquam id illi permissum erat; quia non constat, mercatori censum deberi, cum nunquam eum petierit: nec mercator hanc summam recipere potest per modum retributionis aut testamentariæ dispositionis; cum Religiosus voto paupertatis adstrictus testamentum condere non possit. Illi, ad quos bona hujus Religiosi devenerunt, ex iis tenentur solvere creditoribus debita. Quod si tamen mercator præfatus ex dilatione solutionis sustinisset aliquod damnum, aut lucro, quod legitime percipere potuisset, fuisset privatus, ducentos florenos, vel saltem proportionatam compensationem recipere posset. *Promageau*

CASUS LVI. Lambertus Religiosus professionem emisit sub hæc conditione, si recuperaturus sit firmam valetudinem, quæ tempore novitiatus diversorum morborum cruciatibus erat afflictæ. Potestne deficiente hac conditione agere pro annullatione professionis suæ?

ꝛ. Si Lambertus convincenter probare potest, se nunquam professionem emissurum fuisse, nisi medicus firmæ valetudinis recuperandæ spem fecisset, ea non recuperata potest agere, ut nulla declaretur professio. Si autem id convincenter probare non potest, licite saltem petit a Papa dispensationem, ut possit transire ad Ordinem laxiorem. *Promageau*.

CASUS LVII. Paulinus Religiosus ex Ordine Minimorum variis vexatur infirmitatibus propter abstinenciam a carnibus, quam præscribit regnla. Teneturne recurrere Romam pro impetranda licentia vescendi carnibus?

ꝛ. Licentia hæc potest ipsi indulgeri a Superioribus. Et si continuata abstinencia a carnibus infirmitas ejus sit incurabilis, poterit sibi procurare a Papa facultatem transeundi ad Ordinem mitiorem, in quo non viget hæc abstinencia. *Promageau*.

CASUS LVIII. Benedictus Carmelita continuis afficiebatur vexationibus ac injustis persecutionibus, quas nisi fuga declinare haud poterat. Fugit itaque. Estne habendus pro apostata?

ꝛ. Non est pro tali habendus, maxime si non deposuit habitum religionis suæ. Convenientius se detinet post fugam in monasterio quodam, quam apud parentes aut confanguineos.

guineos. Postquam expiravit tempus in Brevi Apostolico concessum, quo ipsi ad alium Ordinem transeundi facultas tribuitur, procurare sibi debet novum Breve. Cumque Generalis injustis vexationibus coegerit ipsum ad fugam, ut vitam in tuto reponeret, Conventus tenetur ipsi providere de necessariis ad sustentationem, & omnibus impensis ad causam suam tuendam, donec ex integro composita fuerit. *Promageau*

CASUS LIX. Bertrandus juvenis, videns in mundo periclitari salutem animæ suæ, statuit ingredi religionem. Alieno ære autem supra modum gravatus, nequit satisfacere creditoribus suis. Poteritne hoc non obstante religionem ingredi?

ꝛ. Poterit profiteri religionem: discrimen enim est faciendum inter debitorem personaliter talem, & inter bona ipsius, quæ vel actu habet, vel deinceps acquirere potest. Bona hæc omnia sunt hypothecata creditoribus, nec de illis in præjudicium eorum disponere potest; attamen persona ipsius plena gaudet libertate. *Promageau*.

NOTA. Hæc responsio recipi potest, nisi ex constitutionibus Ordinis talis ab admissione ad professionem arceri debeat: multis enim in monasteriis recipi prohibentur ære alieno gravati, aut ratiociniis obligati.

CASUS LX. Carniolus assumpto habitu Canonicorum Regularium possidet Beneficium curatum regulare hujus Ordinis; nunquam tamen in Ordine præfato vel novitiatum subiit, vel professionem emisit. Estne Religiosus?

ꝛ. Non est Religiosus; potest tamen administrare parochiam, si Episcopus eum ad hoc judicaverit idoneum, omnesque exercere functiones parochiales. *Promageau*.

CASUS LXI. Xaverius Religiosus non reformatus assignatam sibi habet pensionem a domo professionis suæ, in quam introducta est reformatio. Hanc pensionem deberi sibi existimat, etsi divino officio non intersit, & in alio degat monasterio. Num verum hoc?

ꝛ. Religiosus nec acceptare nec retinere potest duo domicilia monachalia, sed residere tenetur in domo professionis suæ, ibidemque assistere choro & Divinis; nec potest inde egredi & transire ad alium conventum absque gravissimis causis & autoritate legitima. Si sine ejusmodi causis & autoritate in aliud se conferret monasterium, eo ipso pensionem suam amitteret. *Promageau*.

CASUS LXII. Religiosi perantiquæ cujusdam Abbatiæ longo jam abhinc tempore vivebant more Canoniorum secularium in summa disciplinæ relaxatione. Hinc Princeps constitutionem edidit, ut vitam communem denuo restarent, ad unam communem mensam simul omnes cibum caperent, & plures alios enormes abusus regulæ monachali disconvenientes tollerent. Obligatne hæc constitutio?

ꝑ. Religiosi omnes tenentur se subiicere mandato Principis. Prior claustralis debet tentare & adhibere omnia media licita ad introducendam & urgendam mandati hujus observantiam. Eos, qui a Curia Romana obtinuerunt Beneficia a monasterio suo dependentia, tentare debet, & si religiosæ disciplinæ refractarios deprehenderit, revocare. Professi quidem, quibus Beneficia claustralia in titulum obtigerunt, non tenentur rationem reddere de usu reddituum Beneficii, quod possident; tenentur tamen fideliter satisfacere ejusdem oneribus, & stricte observare leges canonicas pro beneficiatis sancitas. Abusus est sub missa majore, cui omnes interesse tenentur, convocare Capitula, adeoque abrogandus. Abusus quoque intolerabilis permittit consanguineis spolia defuncti Religiosi, relictam nempe supellectilem, ornatum cellæ &c. Corruptela pessima est dividere inter Religiosos pecunias, quæ exiguntur a Candidatis ad noviciatum recipiendis. Religiosi non reformati non possunt renuncire regulæ suæ, nisi ab ejusdem observatione sint dispensati per Bullas authenticas debitæ omnibus formalitatibus vestitas. *De Lamet.*

CASUS LXIII. Florianus Religiosus, frater conversus ex numero non reformatum per plures jam annos degit extra suum monasterium, & tonsuram ac officium Sacristæ in quadam ecclesia obtinere nititur. Num licite?

ꝑ. Non potest degere extra suum monasterium absque gravi causa, & quidem a Papa, vel saltem ab aliis suis Superioribus approbata. Confessiones ab eodem in hoc statu peractæ sunt nullæ, ac proin omnes repetendæ. Non potest absque dispensatione recipere tonsuram & obtinere Beneficium. Nec potest possidere in titulum officium Sacristæ, quod presbyteratum exigit, & alias semper a Presbytero provisum est. Non licet ipsi habere pecunias, ut & coeteris religiosi professis. Recreationes omnes sunt ipsi interdictæ, nisi quas regula & constitutiones permittunt. *Fromageau.*

CASUS LXIV. Ludgerus Religiosus ob atrociam ac notoriam crimina ingens olim toti communitati scandalum præbuit, pessimamque sibi famam peperit. Divino autem instinctu afflatus culpam suam pleno in Capitulo humiliter confessus est, veniamque petiit; & vivit modo integerrime, ac ad ædificationem omnium. Potestne jam in monasterii Priorem eligi?

ꝑ. Cum iis, qui religiosi communitatibus præsunt, necessarium sit non modo bonum testimonium ab iis, qui foris sunt, sed ab illis etiam, quibus præsident, quibusque in perfectionis via non doctrina tantum, verum etiam virtutum exemplo faciem præferre debent, Ludgerus ab omni superioratus officio arcendus est: licet enim ipse malitiam suam coram universa communitate confessus fuerit, pœnitentiamque egerit, non tamen famam suam redintegrasse censendus est. Quod locum etiam habet, inquit Prosper Fagnanus in Cap. *Omnipotens*. de accusat. n. 31. *etiam si pœnitentiam egerit; quia nihilominus aliqua infamia respersus, etiam si nullus eum accusaverit, promovendi non debet.* Imo maxime scandalosa foret ipsius promotio. *De Lamet.*

NOTA. Semel infames non solum infamia juris; sed etiam facti nunquam in Ordinibus religiosi præfici possunt sine maximo totius communitatis ac regularis disciplinæ dispendio: etsi enim emendati videantur, vix unquam tamen satis efficaciter ac cordate obstant irrumptibus vitiis ac corruptelis, ne semetipsos tacite arguant, aut præteritorum memoriam in aliis resercent. Subditi quoque pronius delinquant ob spem facillioris condonationis, aut levioris punitiois.

CASUS LXV. Potestne Religiosus cujusdam Abbatiæ, in qua vita communi ac regulari disciplina vix non penitus collapsis quilibet pro suo arbitratu vivit, in monasterio secum habere foeminas consanguineas pro suo servitio?

ꝑ. Religiosus hujusmodi ageret contra statuta Ordinis sui, a quorum observantia hac in re nulla ratione sese eximere potest. Neque matrem, neque sororem, multo minus earum ancillas in monasterio secum habere licet; teneturque Superior sub gravissimo peccato eas expellere. *Fromageau.*

Vide *Approbatio*. cas. 10. *Confessio* cas. 34. *Dispensatio in votis Religiosorum*. *Eleemosyna* cas. 13. *Monialis*. *Professio religiosa*. *Votum*.